

469.

Markgraf Heinrich beurkundet, daß das Stiftskapitel Naumburg 2 Hufen in Prittitz und 2 desgl. in Aupitz von dem edelen Manne Hermann Burggrafen von Neuenburg erkaufte hat.

Landing Schköhlen, 1232 Aug. 21.

Hilshr.: Or. Perg. Stiftsarchiv Naumburg No. 69. Das S. verloren. Phot. II. St. A.

Gedr.: Brunn, Histor. dipl. Nachricht von den Grafen von Osterfeld 32.

Ann.: Von Empfängerhand.

5

Heinricus dei gratia Misnensis ac Orientalis marchio omnibus Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in salutis auctore. Ne ex labili memoria aut ex prava ad fallendum hominum malicia bene expedita iterum inpediri et turbari 10 possint negocia, expedit, ut ea, que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, scripti memoria perhennentur. Sciat igitur tam presens etas, quam successura posteritas, quod capitulum Nuenburgensis ecclesie de argento, quod Albertus de Grizheim canonicus ipsius ecclesie et quidam alii pro remedio anime sue dicte ecclesie contulerunt, ad ipsius utilitatem duos mansos in Prizez et alios duos mansos in Vphaz cum omnibus attinenciis 15 pro nonaginta marcis et octo fini, legalis et puri argenti comparavit a nobili viro domino Hermanno buregravio de Novo Castro. Que bona iam dictus buregravius eidem ecclesie vendidit et tradidit in presentia nostra in generali placito ea secuta sollempnitate, que secundum terre consuetudinem in talibus requiri consuevit, accedente consensu heredum suorum scilicet omnium ipsius filiorum, qui presentes erant, ac etiam fratris sui domini 20 Meinheri buregravii de Misne, qui similiter presens erat, qui omnes in solidum fideliter promiserunt defendere et tueri predictam ecclesiam in bonis eisdem, quamdiu viverent, contra omnem hominem, qui ipsam ecclesiam super predictis bonis impeteret vel eis questionem super his moveret, de evictione se perpetuo obligantes. Nos vero auctoritate nostra idem factum nostro banno confirmantes procuratores eiusdem Nuenburgensis 25 ecclesie in possessionem eorundem bonorum induci fecimus corporalem auctoritate nostra districte precipientes, quatinus sibi in bonis iam dictis pax debita servetur ab omnibus nec eam aliquis sub his audeat molestare, quod, qui fecit, dei omnipotentis et nostram scenciet indignationem. Ut autem super iam dicto contractu omnis in posterum dubietatis tollatur occasio, idem factum presenti pagine adnotari et sigilli nostri munimine fecimus 30 roborari. Testes, qui huic facto interfuerunt, sunt hii: Heidenricus prepositus Misnensis. Norpertus canonicus Merseburgensis. Iohannes de Pac. Vlricus de Vridebere. Heinricus de Warin. Heinricus et Albero fratres de Chozhowe. Heinricus de Vesta. Heinricus de Bolin. Ulricus de Guzowe. Heinricus marscalcus, Cunradus camerarius fratres. Cunradus Scharoch senior. Burcardus de Geizela. Heinricus de Chorun. Cunradus 35 de Reken. Cunradus de Miltiz. Reinhardus de Strele. Hermannus parrochianus de Wizenuels. Bedellus de Ranstete. Acta sunt hec Scolin in placito provinciali anno dominice incarnationis n. cc. xxxii., xi. kal. septembris.

(SD.)